



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

4. Vtrum enunciatio sit vna simplex qualitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

Verum enunciatio sit una simplex qualitas.

Sensus difficultatis.

31. **N**on est dubium quin prius apprehendamus extrema, quorum vnum prædicamus de altero, quam feramus iudicium de vnione ipsorum: siue apprehendamus ipsa per plures apprehensiones, vt magis communiter solemus facere, siue per vnicam, qua apprehenderemus illa per modum vnius, quod probabiliissimum est posse fieri, siue fiat ordinarie, siue non fiat. Sed controuersia est, vtum quando dicimus in mente: homo est albus, iudicatiue, præter simplices apprehensiones hominis & albedinis vnionisque ipsorum, siue plures sint, siue vna, inueniantur plures alij actus, ex quibus ipsum iudicium formaliter componatur, & integretur, an vero solum requiratur, & sufficiat vnus alius actus, præter istas apprehensiones; si enim requirantur plures actus, tum enunciatio non erit vna simplex qualitas, sed vna qualitas composita; si autem sufficiat vnus, enunciatio erit qualitas simplex.

CONCLUSIO.

Enunciatio est vna simplex qualitas.

Enunciatio est vna simplex qualitas. Est communis. *Probari solet*, quia si requirerentur plures actus, vnus haberet pro obiecto subiectum, alter prædicatum, & alter copulam; sed hoc supposito non posset iudicium facile distinguui à simplici apprehensione composita respiciente eadem obiecta: ergo non debet dici iudicium componi ex pluribus actibus.

Hæc probatio non placet, quia eadem ratione apprehensio vna simplex istorum trium obiectorum non posset distinguui à iudicio: & certe omnino non videtur posse apprehendi vnio, seu identitas prædicati, & subiecti, quin eadem apprehensione apprehendatur subiectum, & prædicatum; & hoc non obstante iudicium, quod fertur de illa vnione seu identitate, est distincta rationis ab apprehensione eiusdem.

32. *Probat ergo melius*, quia sine necessitate multiplicarentur actus, cum vnus sufficeret; nec vllum est iudicium siue rationis, siue experientie, quo colligatur dari in iudicio plures actus: ergo frustra; & sine necessitate multiplicarentur.

Obiicies primo: Vnio subiecti, & prædicati non potest concipi, nisi per modum relationis: ergo non potest intelligi, quin intelligantur extrema: ergo qui iudicat dari talem vnionem inter prædicatum & subiectum, debet habere actum, qui tendat in vnionem, & in extrema: sed vnus actus ad hoc non sufficit: ergo debet habere plures.

Respondeo negando subsumptum, vnus enim actus sufficit ad tendendum in vnionem directe, & primario, & in extrema ipsius indirecte, & secundario, quidquid sit verum sufficeret ad tendendum in omnia illa simul æque primario, & directe.

33. *Obiicies secundo*. Enunciatio vocalis componitur ex variis partibus: ergo & mentalis, quæ correspondet ipsi.

Respondeo negando consequentiam: & certe si obiecto hæc valeret, probaret quod conceptus seu cognitio ipsius subiecti solius esset composita; quia terminus vocalis correspondens ipsi est compositus.

Obiicies tertio: Extrema enunciationis possunt esse opposita, vt in hac enunciatione: homo est lapis, vel homo non est lapis: ergo non potest vnus actus simplex tendere in illa.

Respondeo distinguendo consequens; directe, transeat, indirecte nego. Namque iudicium directe versatur circa vnionem, eam negando, vel affirmando, indirecte verò in extrema.

Obiicies quarto: In hoc distinguitur prima operatio intellectus, quæ est apprehensio, à secunda, quæ est iudicium, quod prima non componatur ex pluribus actibus, secunda vero componatur: ergo.

Respondeo negando antecedens: sed in hoc potius distinguatur, quod prima operatio vt sic, non necessario præsupponat aliam operationem intellectus, secunda verò ne-

cessario præsupponat primam, & etiam quod per primam tantum apprehendamus sine indicio, per secundam iudicemus, quod apprehendimus, esse ita, vel non. Hic agi solet de diuisionibus propositionum, sed quod necessarium est diximus in Summulis.

QVÆSTIO V.

Verum ex propositionibus contradictoriis de futuro contingenti, altera sit determinate vera, altera falsa.

34. **P**ropositio de futuro contingenti est propositio, qua affirmatur vel negatur aliquid futurum, quod posset esse, vel non esse, vel cuius causa libere ipsum producit, vel non producit, vt *Petrus sedebit cras*, *Petrus non sedebit cras*. Difficultas igitur est, vtum ex duabus huiusmodi propositionibus contradictoriis, vna aliqua determinata sit vera, ita vt aliquis posset vere dicere: hæc determinata propositio est vera, & altera propositio ipsi opposita contradictoria est falsa.

Ad euitandam autem æquiuocationem, quæ posset hic accidere, *Aduertendum est* aliquid determinate esse futurum, posse multis modis intelligi; *primo* intelligi potest quod sit ita futurum, vt habeat aliquam causam determinatam & necessitatē ad sui productionem ita, vt talis causa non possit oppositum producere pro illo instanti vel tempore, quo dicitur futurum: & sic potest dici, quod calor ab igne est determinate futurus, pro quocumque instanti vel tempore applicabitur sufficienter ad passum aliquod capax caloris. Non agitur autem in presenti de propositionibus, quæ asserunt aliquid determinate esse futurum in hoc sensu. *Secundo* potest intelligi per aliquid determinate esse futurum, quod ita sit futurum infallibiliter ab aliqua causa, vt non fiet oppositum eius, quamuis causa non sit determinata, aut necessitata ad ipsum ponendum, vel non ponendum: & de propositionibus, quæ asserunt aliquid futurum in hoc sensu agitur in præsentiarum.

CONCLUSIO.

Ex propositionibus de futuro contingenti aliqua est determinate vera, alia falsa. Ita tenet *Doctor* in 1. dist. 3. quæst. 1. *D. Bonanemura* in 1. d. 38. art. 3. q. 1. quos communiter sequuntur omnes fere contra quosdam antiquos & *Fonsecam* lib. 4. *Metaphys.*

Probat, quia aliquid esse determinate futurum, est esse ita absolute, vt posset vere dici de eo absolute & simpliciter, hoc est futurum: sed ex propositionibus contradictoriis de futuro contingenti de alterutra potest dici vere absolute & simpliciter, est futura, verbi gratia ex his duabus: *Petrus est futurus*; *Petrus non est futurus*: potest vere dici absolute, quod Petrus est futurus, aut potest vere dici simpliciter, quod non sit futurus; alias propositiones contradictoriæ essent simul falsæ; si enim neutra ex illis est simpliciter vera, vtraque est simpliciter falsa.

Probat *secundo*, quia de fide est quod Deus cognoscat omne illud, quod futurum est, à quacunque causa futurum est, & quod ipse possit dicere & reuelare hominibus, sicut reuelauit sapissime vt patet ex Scriptura mille locis, quod aliquid determinatum esset futurum à causa libera: ergo, propositio, quæ assereret illud determinatum esse futurum, esset vera, & opposita contradictorie esset falsa. Patet consequentia, quia propositio est vera, quæ est conformis suo obiecto, illa autem propositio esset conformis suo subiecto: ergo esset vera.

Confirmatur, quia de fide est Antichristum esse futurum infallibiliter: ergo propositio asserens Antichristum esse futurum est vera determinate: sed illa est propositio de futuro contingenti: ergo &c.

36. *Obiicies Philosophum*, qui ait propositiones de futuro contingenti, neque esse determinate veras, neque determinate falsas.

Respondeo eū nihil aliud velle, nisi quod neutra ex illis sit determinate vera aut falsa, ita vt determinatio illa proveniat ex eo, quod causa sit determinata ad dandum illis illam veritatem aut falsitatem, sicut contingit in propositionibus futuris non contingentiibus, vel certe quod non sint

Multitudo potest aliquid esse determinate futurum.

Ex propositionibus contradictoriis de futuro contingenti aliqua est determinate vera, alia falsa.